

„raliter unum cum eo efficitur : in  
 „quibus manet post consecrationem si-  
 „militudo panis , & vini , ne sit cuidam  
 „horror cruoris , sed manet in eis gra-  
 „tia redemptionis . De naturali enim  
 „in nobis Christi veritate ipse ait : *Caro*  
 „*mea vere est esca , & sanguis meus vere*  
 „*est potus &c.* De veritate carnis , &  
 „sanguinis ejus nullus relictus est am-  
 „bigendi locus . „ Beda ad cap. 22.  
 „Luca . „ Finitis Pascha veteris so-  
 „lemnitis , quæ in commemoratione  
 „antiquæ de Ægypto liberationis age-  
 „bantur , transit ad novum , quod in  
 „suæ redemptionis memoriam Ecclesia  
 „frequentare desiderat , ut videlicet  
 „pro agni carne , vel sanguine , suæ car-  
 „nis , sanguinisque Sacramentum in pa-  
 „nis , viniq; figura substituens , ipsum  
 „se esse monstraret , *cui juravit Domi-*  
 „*nus , & non panitebit cum : Tu es Sa-*  
 „*cerdos in æternum secundum ordinem*  
 „*Melchisedech .* „

Dicimus II. Aquam miscendam esse cum  
 vino in Sacrificio Missæ , non ex ne-  
 cessitate Sacramenti , nec ex neces-  
 sitate præcepti divini , sed ex neces-  
 sitate tantum præcepti ecclesiastici .

I. probatur ex Pontificibus Romanis .  
 Honorius III. & refertur in capite  
*Perniciosus* de Celebratione Missarum :  
*Perniciosus inolevit abusus : videlicet*  
*quod in majori quantitate de aqua poni-*  
*tur in Sacrificio , quam de vino ; cum se-*  
*cundum rationalem consuetudinem Ec-*  
*clesia generalis , plus in ipso sit de vino ,*  
*quam de aqua ponendum . Eugenius IV.*  
*in instructione Armenorum : Vino ante*  
*consecrationem aqua modicissima admi-*  
*steri solet .*

II. probatur ex Conciliis . Concilium  
 Florentinum in decreto pro Armenis  
 docet , quod antiquæ omnes Ecclesiæ ,  
 tum Latina , tum Græcæ semper in  
 Sacrificio obtulerunt vinum aqua  
 mixtum ; & rationes adducens , ait :  
 I. *Quia juxta SS. Patrum testimonia*  
*creditur , ipsum Dominum in vino aqua*  
*permixto hoc Sacramentum instituisse .*  
 II. *quia convenit dominicæ Passionis*  
*representationi . III. quia utrumque*  
*de latere Christi fluxisse legitur . IV. de-*  
*nique quia convenit ad significandum*  
*hujus Sacramenti effectum , qui est unio*  
*populi Christiani ad Christum , aqua*  
*enim populum significat . Concilium*  
 Tridentinum sess. 22. cap. 7. *Monet*  
*Sacra Synodus præceptum esse ab Ec-*

*clesia Sacerdotibus , ut aquam vino in*  
*Calice offerendo miscerent : tum quod*  
*Christum Dominum ita fecisse credatur ;*  
*tum quia e latere ejus aqua simul cum*  
*sanguine exierit , quod Sacramentum hac*  
*mixtione recolitur : & cum aqua in*  
*Apocalypsi B. Joannis populi dicantur ,*  
*ipsius populi fidelis cum capite Christo*  
*unio representatur . & can. 9. Si quis*  
*dixerit . . . aquam non miscendam esse*  
*vino in Calice offerendo , eo quod sit*  
*contra Christi institutionem ; anathema*  
*sit .*

III. probatur ex Patribus . Chryso-  
 stomus in Liturgia , quæ sub ejus nomine  
 circumfertur : *deinde facit commixtio-*  
*nem in Calicem mittens vinum , &*  
*aquam . .* Cyprianus in citata Epistola  
 ad Cæciliam explicans illud Prover-  
 biorum 9. *Venite , edite de meis panibus ,*  
 & *bibite vinum , quod miscui vobis ,*  
 hæc scribit : *Vinum mixtum declarat ,*  
*id est Calicem Domini aqua , & vino mi-*  
*xtum prophetica voce denuntiat . Am-*  
*brosius lib. 4. de Sacramentis cap. 5.*  
*Vinum cum aqua in Calice mixtum sit*  
*sanguis Consecratione verbi caelestis .*  
 Hieronymus in cap. 14. Marci : *For-*  
*mat sanguinem suum in Calice vino , &*  
*aqua mixtis . Bernardus Epist. 69. nec*  
*nego panem , & vinum aqua quidem mi-*  
*xtum simul deberi appone .*

II. Conclusionis pars I. probatur . Con-  
 secratio vini non permixti aqua est va-  
 lida : ergo mixtio hæc non est de ne-  
 cessitate Sacramenti . Antecedens  
 probatur . Cyprianus in citata Episto-  
 la ad Cæciliam expresse asserit : *San-*  
*guinem Christi esse in Calice , quando in*  
*Calice est vinum non temperatum prius*  
*aqua , his verbis : nam si vinum tantum*  
*quis offerat , Sanguinis Christi incipit*  
*esse nobis .* Subdit Jueninus , quasi di-  
 xisset . „ Sub sola vini specie conti-  
 „neri quidem naturale Corpus Christi ,  
 „ non autem mysticum , quod est Ec-  
 „clesia . „

II. probatur . Concilia , & patres dum  
 conquirunt de materia Eucharistiæ ne-  
 cessaria , tantum memorant panem ,  
 & vinum , non autem aquam : ergo  
 sine aqua consecratio est valida . Pro-  
 batur antecedens . Chryso-  
 stomus explicans illud Christi *de gemine vitis*  
 , subdit : *quæ certe vinum , non aquam*  
*producit .*

III. probatur . Sub specie panis , & vini  
 continetur Christi Corpus , & Sanguis ;  
 sed